b. Preterea. Nisi terminus communis apponens huic uerbo 'desinit' haberet ampliatam suppositionem, tunc hec esset uera 'Sortes desinit esse coloratus', posito quod esset albus et inciperet esse niger. Hec enim est uera 'Sortes est coloratus colore qui[25] nunc est', quia albedine, 'et de cetero non erit coloratus colore qui nunc[26] est', quia erit coloratus nigredine. Et sic esset uera 'Sortes desinit esse coloratus'. Quod cum sit falsum, relinquitur quod iste terminus 'coloratus' non supponit pro eodem[27] in affirmatiua et negatiua, set pro colore qui est in affirmatiua, pro colore communiter qui est uel qui non est in negatiua. Quare habet ampliatam suppositionem.

---

22. albius K.
23. minoris : me^e K.
24. omnibus K.
25. quia K.
26. qui nunc : quia tunc K.
27. eodem : et add. et exp. K.

Ad oppositum sunt rationes communes[28].

a. Regula est quod "terminus communis supponens uel apponens uerbo presentis temporis restringitur ad supponendum pro presentibus". Set hoc uerbum 'desinit' est presentis temporis; ergo terminus sibi apponens restringetur ad supponendum pro presentibus. Et sic erit sensus 'Sortes desinit esse albissimus hominum qui sunt'. Set hec est falsa simpliciter; ergo et prima. Et ex hoc concluditur quod non habet ampliatam suppositionem.

b. Item. Omne uerbum habens uirtutem ampliandi significat rem que indifferenter conuenit enti et non enti, ut patet in uerbo 'potest' et 'laudatur' etc., set hoc uerbum 'desinit' non significat rem que indifferenter conuenit enti et non enti, set enti[29] solum, quia solum ens desinit esse; ergo non habet uirtutem ampliandi. Set <si> sic, tunc non ampliatur iste terminus 'hominum' ad supponendum pro hominibus[30] qui sunt et qui non sunt, quare stat pro hominibus[31] qui sunt solum. Et sic habet[32] restrictam suppositionem, et concluditur ex hoc prima esse falsa.

c. Item. Nullum inferius ampliat ad ea ad que restringit superius, ut 'album' non ampliat[33] ad ea ad que restringit 'coloratum'; set desinere esse idem est quod nunc ultimo esse, quod est inferius ad esse. Sequitur enim 'hoc est nunc ultimo, ergo hoc est', et non conuertitur; quare est inferius. Ergo desinere [est] esse similiter est inferius[34] ad esse. Ergo non ampliat ad ea ad que restringit hoc uerbum 'esse'. Set hoc uerbum 'esse' restringit[35] ad ens; ergo hoc uerbum 'desinit' multo fortius, et ita non ampliat ad ens et ad non ens.

d. Item. Omne compositum trahitur ad naturam dominantis[36] in illo, ut scribitur in principio Celi et mundi[d]; set in hoc uerbum 'desinit' est

---

28. continues K.
29. enti s.l. : erit Kac.
30. omnibus K.
31. omnibus K.
32. habent K.
33. ampliatur K.
34. \in/ferius K.
35. restringitur K.
36. dominantis : durantis K.

---

d. **Arist. De coelo** I.2, 269a1-2, 4-5, 28-30 (transl. M. Scoti, ed. Venetiis 1562, fol. 6E, K, 9K): et motus corporum simplicium simplices, et motus corporum compositorum erunt diuersi: sed tamen mouentur secundum motum corporis simplicis in eis dominantis ... si ergo in corpore composito inueniatur motus simplex, erit ille motus corporis simplicis dominantis in illo ... et iam diximus superius quod corpora composita sunt secundum corpus simplex, existens, et dominans in eis. Cf. **Averrois comm. 7 ad hunc locum (fol. 6G):** Dixit: & motus corporum compositorum erunt diuersi: sed tamen mouentur secundum motum corporis simplicis dominantis ita quod motus eorum erunt secundum naturam corporis simplicis dominantis. Cf. **etiam Auct. Arist. 3, 7 (ed. Hamesse: 160):** Mixto non competit motus, nisi

duplex intellectus temporis: presentis et futuri; ergo trahitur ad naturam dominantis[37] in illo. Set presens[38] tempus dominatur[39] in illo; ergo erit presentis temporis tantum. Et si sic, tunc terminus supponens supponet tantum pro presentibus.

e. Item. Terminorum quidam sunt substantiales, quidam accidentales. Et assignatur differentia inter illos, secundum quod apponunt illis uerbis 'incipit' 'desinit', quod termini accidentales quantum ad primam suppositionem supponunt[40] pro eis qui sunt, quantum ad secundam pro hiis qui non sunt; termini uero substantiales quantum ad utramque suppositionem supponunt pro hiis qui sunt. Et appellatur[41] prima[42] suppositio quam habent termini ratione temporis consignificati per uerbum; secunda suppositio appellatur[43] quam habent termini ratione temporis subintellecti. Ex hoc sic arguitur. Termini substantiales quantum ad utramque suppositionem supponunt pro hiis qui sunt apponentes istis uerbis 'incipit' et 'desinit'; set iste terminus 'hominum' est terminus substantialis; ergo supponet tantum pro eis qui sunt.

<center>4.</center>

De quarto. Sic potest ostendi quod habet simplicem suppositionem.

a. Impossibile est eundem terminum simul et semel supponere pro presentibus et futuris actualiter - et hoc dico propter hoc uerbum 'potest'. Queritur ergo: in hac propositione 'Sortes desinit esse albissimus hominum' iste terminus 'hominum' aut supponit pro hiis qui sunt tantum aut pro hiis qui non sunt <tantum>. Neque pro hiis neque pro illis. Nec pro hiis qui sunt tantum, hoc supposito per expositorias, neque pro hiis qui non sunt tantum; ergo tenet medium et omnis talis habet simplicem suppositionem. Quare habebit iste terminus 'hominum' simplicem suppositionem.

Ad oppositum.

a. Simplex suppositio est acceptio termini communis pro sua simplici essentia; set iste terminus 'hominum' non stat pro sua simplici essentia; ergo non habet simplicem suppositionem.

37. dominantis : durantis **K**.
38. presens : plures **K**.
39. denominatur **K**.
40. supponit **K**.
41. ampliatur **K**.
42. primo **K**.
43. ampliatur **K**.

ratione elementi praedominantis in ipso.

b. Item. Nullus terminus significans formam multiplicatam per materiam⁴⁴ habet simplicem suppositionem, quia contraxio ad materiam repugnat simplici suppositioni. Set iste terminus 'hominum' est huiusmodi, quia significat formam communem in plurali que est multiplicata per materiam: numerus enim sequitur materiam. Ergo non habet simplicem suppositionem.

c. Item. Nullus terminus significans formam communem numeratam habet intentionem speciei uel generis - homines non sunt species neque animalia sunt genus -, set iste terminus 'hominum' significat formam communem numeratam; ergo non habet intentionem speciei uel generis uel alicuius alterius uniuersalis. Ergo iste terminus 'hominum' non habet simplicem suppositionem.

5.1

Ultimo queritur utrum sequatur 'Sortes desinit esse albissimus hominum, ergo hominum qui sunt'.

a. Quod sic uidetur, quia bene sequitur 'Sortes desinit esse homo, ergo desinit esse homo qui est'.

b. Similiter bene sequitur 'Sortes desinit uidere hominem, ergo desinit uidere hominem qui est'. Ergo similiter sequitur 'Sortes desinit esse albissimus hominum, ergo desinit esse albissimus hominum qui sunt'.

5.2

a. Item. Quod sequitur 'Sortes desinit esse albissimus hominum, ergo hominum qui sunt uel qui non sunt' uidetur sub disiunctione, quia esse et non esse opponuntur sicut affirmatio et negatio, set de quolibet affirmatio uel negatio; ergo de quolibet dicetur esse uel non esse. Ergo pari ratione 'homines qui sunt uel qui non sunt', et ita sequitur 'desinit esse albissimus hominum, ergo hominum qui sunt uel qui non sunt'.

b. Item. In hac oratione 'Sortes desinit esse albissimus hominum' sunt affirmatio et negatio, set ratione utriusque sequitur. Sequitur enim 'est albissimus hominum, ergo est albissimus hominum qui sunt uel qui non sunt'. Similiter sequitur 'de cetero non erit albissimus hominum, ergo de cetero non erit albissimus hominum qui sunt uel qui non sunt'. Quare sequitur 'Sortes desinit esse albissimus hominum, ergo desinit esse albissimus hominum qui sunt uel qui non sunt'.

---

44. naturam **K**.

Solutio
<Opinio cum refutatione>

Quidam dicunt quod prima falsa est simpliciter et concedunt quasdam rationes que facte fuerunt ad falsitatem huius 'Sortes desinit esse albissimus hominum' et respondunt ad argumentum probationis per fallaciam figure dictionis uel per fallaciam ignorantie elenchi. Per fallaciam figure dictionis ex uariato modo supponendi huius termini 'hominum' in affirmatiua et negatiua propositione: cum enim dicitur 'est albissimus hominum et de cetero non erit', quia in prima supponit iste terminus 'hominum' pro presentibus in alia pro futuris, tunc mutatur eius suppositio. Et ex hoc assignant elenchi[45] ignorantiam, sicut ostendebat ratio facta ad argumentum probationis.

Set qui sic ponunt[46] uidentur destruere expositionem orationum in quibus ponitur hoc uerbum 'desinit' et eius naturam et suppositionem terminorum eis apponentium.

Item, et hoc accideret, quod in omni argumento facto per locum ab expositione huius uerbi 'desinit' esset[47] fallacia pari ratione.

<Opinio propria>

Item, duplex est terminus: quidam substantialis et quidam accidentalis, et duplex suppositio terminorum apponentium /262ra/ hiis uerbis 'incipit' et 'desinit': una prima et alia ex consequenti habita, sicut dictum est superius. Dicendum est ergo quod termini accidentales apponentes istis uerbis 'incipit' et 'desinit' quantum ad primam suppositionem <supponunt> pro hiis qui sunt, quantum ad secundam pro hiis qui non sunt.

Et ratio huius est, quia forma accidentalis est circa subiectum transmutata manente subiecto, forma substantialis non. Unde si ita sit quod Sortes sit modo albissimus et incipiat esse niger et deinde iterato erit albus, hec est falsa 'Sortes desinit esse albissimus', quia altera exponentium est falsa, hec scilicet 'de cetero non erit albus', quia si iste terminus 'albus' supponeret tantum pro albedine que nunc est, uera esset. Quare patet quod terminus accidentalis apponens hiis uerbis 'incipit' et 'desinit' non supponit tantum pro hiis qui sunt.

Set termini substantiales quantum[48] ad utramque suppositionem supponunt [eis] pro eis qui sunt. Et causa huius est, quoniam terminus substan-

---

45. elenchi: c add. sed exp. K.
46. sic ponunt : supponunt K.
47. esse K.
48. tantum K.

tialis inponitur[49] a forma substantiali, que non potest transmutari circa subiectum subiecto manente neque forma opposita[50] introduci et iterato eadem introduci. Ideo sequitur 'desinit esse homo, ergo homo qui est'. Et ideo terminus substantialis quantum ad utramque suppositionem supponit pro hiis qui sunt.

Ita apparet diuersitas suppositionum istorum terminorum secundum quod apponunt istis uerbis. Et quia iste terminus 'hominum', licet non sit accidentalis, ratione sue obliquitatis sortitur rationem accidentis, ideo modum supponendi habet terminorum accidentalium. Et sic non supponit quantum ad utramque suppositionem pro hiis qui sunt, set quo ad primam suppositionem pro eis qui sunt, in negatiua uero stat sub quadam indifferentia pro eis qui sunt uel qui non sunt.

<center><Ad propositum></center>

Ideo aliter dicendum est, quod prima propositio simpliciter est uera et concedende sunt rationes ad hanc partem adducte.

Ad argumentum improbationis potest responderi per fallaciam figure dictionis, quia iste terminus 'hominum' in prima habet simplicem suppositionem siue confusam[51], unde stat sub[52] quadam indifferentia ad supponendum pro eis qui sunt uel qui non sunt, ita quod nec pro hiis qui sunt nec pro eis qui non sunt. Concluditur autem ac si haberet personalem suppositionem.

b. Aliter potest dici quod proceditur ab ampliata ad restrictam huius termini 'hominum'.

c. Dicitur autem a quibusdam quod hec conclusio duplex est 'Sortes desinit esse albissimus hominum, ergo hominum qui sunt uel hominum qui non sunt', eo quod potest esse disiunctio inter terminos uel inter propositiones. Si primo modo uera est, si secundo modo falsa est. Et tunc possunt assignari predicte fallacie.

<center><Ad rationes></center>
<center><Ad 1></center>

a. Ad primum argumentum dicendum quod esse albissimus in Sorte corrumpitur non per aduentum forme contrarie nec per corruptionem subiecti, set per mutationem termini sicut dice<ba>tur.

49. inponitur : in potentia **K**.
50. apposita **K**.
51. confusam : 9ᵐ **K** communem legi poterit, sed vide supra p. 81, n.2
52. sub : pro **K**.

Ad obiectum in contrarium dicendum quod, "generationis et corruptionis est idem terminus numero": dicendum quod hoc est uerum secundum formam et non secundum materiam. Unde eadem est forma significata[53] numero per hunc terminum 'hominum' in hac 'Sortes est albissimus hominum' et in hac 'de cetero non erit albissimus hominum' et in hac 'Sortes incipit esse[54] albissimus hominum' et 'Sortes desinit esse albissimus hominum'. Et sic patet solutio ad primum obiectum, quoniam non est necesse quod desinat esse albissimos istorum hominum, set hominum. Similiter quia non est inceptio et desitio respectu eiusdem termini in respectu ad materiam, set solum secundum formam.

b. Ad aliud dicendum quod duplex est generatio et corruptio: quedam simpliciter[55] et hec est substantiarum, et alia secundum quid, et hec est accidentium. Dicendum ergo "<nihil> quod est terminus alterationis est per se terminus generationis uel corruptionis" simpliciter, tamen potest esse terminus generationis et corruptionis secundum quid. Et sic 'albissimus'[56] potest esse terminus desitionis in Sorte.

c. Ad aliud dicendum quod rerum quedam sunt absolute, quedam respectiue. Absolute quarum esse finitum est in se nec dependet ab altero, sicut homo et asinus, respectiue sicut omnis forma relatiua[57]. Et dicendum quod, "in eis que sunt diuersa secundum substantiam ad mutationem in uno non sequitur mutatio in altero": hoc est uerum quantum ad esse absolutum quod inesset, tamen quantum ad esse relatiuum non est uerum. Quod patet: generato filio generatur pater in altero, corrupto domino desinit esse seruus. Et quia 'albissimus' dicit formam relatiuam, ideo corrumpitur <non> facta mutatione illius in quo est secundum substantiam, sicut uisum est.

d. Ad aliud dicendum quod non debet sic inferre, scilicet quod 'hominum semper erit albissimus', set quod 'hominum quorum est albissimus semper erit albissimus'. Set non sequitur 'hominum est albissimus quorum semper erit albissimus, ergo hominum semper erit albissimus', ymmo est ibi fallacia figure dictionis a restricta ad ampliatam.

e. Ad aliud dicendum quod ydemptitas secundum substantiam est multiplex. Uno modo nomine uel diffinitione, proprio uel accidente. Dicendum est ergo quod "quicquid desinit [desinit] esse aliquid horum que sunt eadem secundum substantiam" nomine uel diffinitione uel proprio, desinit

---

53. significatiua **K.**
54. est **K.**
55. similiter **K.**
56. albissimum **K.**
57. relatiue **K.**

esse alterum, set non modo tertio. Et si obicitur quod sunt conuertibilia, dicendum quod duplex est conuertibilitas: quedam secundum omne tempus, alia secundum aliquod tempus. Dicendum est ergo quod in conuertibilibus predicabilibus secundum omne tempus quicquid desinit esse unum, desinit esse relicum, set non in conuertibilibus secundum aliquod tempus; et talia sunt 'Sortes' et 'albissimus hominum'. Nunc enim sunt conuertibilia et non semper erunt conuertibilia.

f. Ad aliud dicendum quod intelligitur participium medium, scilicet "entium", et est[58] [et est] sensus 'Sortes desinit esse albissimus entium hominum', et est idem quod prius. Quia potest probari sic et etiam improbari sic, dicendo 'Sortes est albissimus entium hominum et de cetero non erit albissimus entium hominum', quia plures erunt entes quam modo sint. Uel dicendo quod intelligitur ratione compositionis et non ratione actus, et quia ista compositio non ponit ens actu, set potentia solum, ideo non sequitur quod desinat esse albissimus hominum qui sunt actu.

h. Ad aliud dicendum, sicut dice<ba>tur, quod hoc totum 'minus alborum' non est totum ad quod[59] dicatur 'albissimus' per se, set hoc quod dico 'alborum'.

Ad obiectum in contrarium, quod in hoc quod dico 'albissimus' sunt duo: natura partitionis et natura[60] excessus. Et concedendum quod ex<c>edit homines albos, quia minus, non quia albos; set non est partituum hominum minus alborum, set alborum solum. Et quia debet[61] esse partitio eorum respectu quorum denotatur fieri desitio, non tamen est pars 'minus alborum', set 'alborum' solum, ideo non desinit esse albissimus minus alborum, set alborum solum.

i. Ad aliud dicendum est quod Sortes potest dupliciter considerari: aut in quantum est actualiter excedens aut in quantum est potentialiter excessus. Primo modo stat li 'hominum' pro hiis qui sunt, secundo pro hiis qui non sunt potest stare, a quibus Sortes potentialiter exceditur.

j. Ad ultimum dicendum quod excedens et excedi dupliciter possunt accipi: aut actualiter aut potentialiter. Primo modo uerum est quod quecumque se habent ut excedentia[62] et excessa sunt actu essentia, set non secundo modo.

58. est : entium add. sed exp. K.
59. quod : quantum K.
60. natura : et add. sed exp. K.
61. dicet K.
62. excedentia : excedat K.

<Ad 2>

a. Ad argumentum quod fiebat contra probationem dicendum est quod respectu eiusdem secundum formam debet esse negatio et affirmatio que exponunt hoc uerbum 'desinit', et non respectu eiusdem secundum materiam ⁺et apud materiam⁺, <sci>licet formam concretam siue suppositum. Non enim ualet 'Sortes est albissimus albedine que nunc est et de cetero non erit albissimus albedine que nunc est; ergo desinit esse albissimus', facta positione quod sit nunc albus et incipit esse niger et iterato incipiat esse albus. Unde non habet completam rationem contradictionis cum terminis accidentalibus ad minus. /262rb/

<Ad 3>

Ad tertio quesitum possumus dicere quod termini accidentales apponentes istis uerbis 'incipit' et 'desinit' habent ampliatam suppositionem. Et concedende sunt rationes.

a. Posset respondi ad primam illarum quod si ille differentie temporis essent ex primo⁶³ et ex principali intellectu, uerum esset; set non sic est, propter hoc non est necesse quod termini apponentes eis amplientur.

a. Ad argumenta que sunt ad oppositum dicendum est quod intelligenda est regula quando illud uerbum non habet uirtutem ampliandi, set hoc uerbum 'desinit' habet, ut uisum est. Uel dicendum quod termini apponentes illis uerbis habent duplicem suppositionem: unam primo et aliam ex consequenti. Quantum ad primam suppositionem restringuntur ad supponendum pro eis qui sunt, quantum ad secundam non, ideo supponunt pro eis qui non sunt.

b. Ad aliud dicendum quod in hoc uerbo duo sunt, scilicet positio in presenti et priuatio futuri. Primo modo conuenit enti solum, secundo modo conuenit non enti. Et sic ad huc potest habere rationem ampliandi.

c. Ad aliud dicendum similiter quod hoc uerbum 'desinit' quantum ad id quod significat positionem in presenti est inferius ad ens, et sic non <habet> uirtutem ampliandi. Set quantum ad hoc quod significat priuationem in futuro est inferius ad <non> ens, et sic potest ampliare.

d. Ad aliud dicendum quod uerum est quod in hoc uerbo 'desinit' est intellectus duplicis temporis: unius principaliter, alterius ex consequenti. Et concedendum est quod hoc uerbum 'desinit' est presentis temporis tantum, set <ex> hoc non <sequitur> quod terminus sibi apponens non

---

63. primo : equo **K.**

possit ampliari, quia non fit ampliatio ratione temporis consignificati - quia si sic numquam fieret ampliatio -, set ratione rei significate. Et quia significat positionem in presenti primo et ex consequenti priuationem in futuro, ideo potest habere quodammodo uim ampliandi.

e. Ad aliud argumentum solutum est superius quod licet iste terminus 'hominum' sit substantialis, tamen in ratione obliquitatis sortitur naturam accidentis.

<Ad 4>

Ad quarto quesitum potest dici[64] quod iste terminus 'hominum' habet simplicem suppositionem.

Set multipliciter est simplex suppositio. Una que fit per indeterminationem partis, et talem simplicem suppositionem habet terminus communis post dictionem exceptiuam, sicut hic 'omne animal preter hominem est irrationale'. Alia est simplex suppositio acceptio termini communis pro sua simplici essentia, sicut hic 'homo est species'. Terta est simplex suppositio acceptio termini communis sub quadam indifferentia pro presentibus et pro futuris. Et talem suppositionem dicitur habere iste terminus 'hominum' in proposito.

a-c. Ad argumenta que sequuntur respondendum est quod obicit de simplici suppositione secundo modo dicta et non tertio modo dicta, quia multiplicatio forme communis per materiam non repugnat simplici suppositioni tertio modo dicta.

<Ad 5.1>

Ad quintum dicendum est quod non sequitur 'desinit esse albissimus hominum, ergo hominum qui sunt'.

a. Ad obiectum contra hoc dicendum quod non est simile in hac 'Sortes desinit esse homo qui est' <et> de hac 'Sortes desinit esse albissimus hominum', quoniam in hac 'Sortes desinit esse homo' iste terminus 'homo', cum sit terminus [sit] substantialis, quantum ad utramque suppositionem supponit pro hiis qui sunt. Set in hac 'Sortes desinit esse albissimus hominum' iste terminus 'hominum' non supponit quantum ad utramque suppositionem pro hominibus qui sunt, set quantum ad primam suppositionem supponit pro hiis qui sunt, quantum ad secundam suppositionem pro hominibus qui non sunt, cum habeat modum supponendi termini accidenta-

---

64. dicere **K**.

lis, ut dictum est. Et ideo non sequitur 'desinit esse albissimus hominum, ergo hominum qui sunt'.

b. Ad aliud quod ponebatur similiter dicendum quod non est simile, quoniam[65] iste actus 'uidere' tantum[66] transit materialiter supra actum existentem unde[67] sequitur 'desinit uidere hominem, ergo hominem qui est'; set 'esse albissimus' potest conuenire rei actualiter[68] enti et potentialiter enti. Et ideo non est simile.

<center>*<Ad 5.2>*</center>

Ad illud quod queritur utrum sequatur 'desinit esse albissimus hominum, ergo hominum qui sunt uel qui non sunt' posset distingui sicut superius dicebatur secundum compositionem et diuisionem, et sic uno modo sequitur, alio modo non.

Set sustinendo quod sit ibi fallacia figure dictionis ab ampliata ad restrictam, dicendum quod non sequitur, ymmo est fallacia consequentis a minus communi[69] ad magis commune, quia in hac 'Sortes desinit esse albissimus hominum' quantum ad primam suppositionem supponit iste terminus 'hominum' pro eis qui sunt, quantum ad secundam pro eis qui non sunt et actualiter pro eis qui sunt et potentialiter[70] pro eis qui non sunt. In conclusione uero quantum ad utramque suppositionem pro eis supponit qui sunt <et qui non sunt> actualiter et potentialiter. Unde actualiter supponit pro eis qui sunt et potentialiter, et actualiter et potentialiter pro eis qui non sunt, uirtute implicantium. Set minus est supponere actualiter pro eis qui sunt et potentialiter pro eis qui non sunt quam actualiter et potentialiter supponere pro eis qui sunt et actualiter et potentialiter pro eis qui non sunt. Ideo fit[71] fallacia consequentis a minus communi ad magis commune, sicut dictum est, et sequitur econuerso, ut patet intuenti.

a. Ad argumenta in contrarium dicendum, ad primum, quod esse et non esse opponuntur ut affirmatio et negatio siue contradictorie quando sunt de eodem, et sic dicuntur de quolibet; set iste due 'homines qui sunt' 'homines qui non sunt' non sunt de eodem; ideo non est necesse quod de quolibet dicantur. Uel dicendum quod differt predicari et sequi, quia pre-

---

65. quoniam : e add. sed exp. K.
66. tantum quando K.
67. unde : non K.
68. actualiter : a add. sed exp. K.
69. commune K.
70. potentialiter : q add.sed exp. K.
71. sit K.

dicari est secundum ydemptitatem substantialem, quia nihil est cui non sit substantiale esse uel non esse siue affirmatio et negatio, ideo affirmatio et negatio predicantur de quolibet; set sequi non est secundum ydemptitatem substantialem, set secundum causalitatem aliquam. Hoc per se patet, quia antecedens dicitur esse causa consequentis. Et quia aliquod antecedens non est causa alicuius affirmationis et negationis (quod patet: non enim[1] sequitur quod si Sortes currit quod Plato disputet uel non disputet, tamen hec est uera 'Sortes currens est Plato disputans [est] uel non est Plato disputans'), ideo non est necesse sequi, si Sortes desinit esse albissimus hominum, quod desinit esse albissimus hominum qui sunt uel qui non sunt.
Ad ultimum patet solutio per ea que dicta sunt.
Et hec sufficiant de isto sophismate[2].

APPENDIX

A List of Sophisms in ms. Krakow BJ 649

I will give here a complete list of the *sophismata* collected in ms. Kraków, Biblioteka Jagiellonska 649, ff. 253ra-271vb. Since the incipits, when still existing, are informative about the structure of the sophism, I will report them rather at length. However, due to their formulaic nature, incipits are hardly sufficient to identify *sophismata*, hence, I will also report the initial lines from the *solutio* of each sophism.

1. INFINITA SUNT FINITA, 253ra
inc. Queritur de hoc sophismate 'infinita sunt finita'. Probatio et improbatio patent. Circa hoc sophisma possunt tria queri: primum est de distinctione; secundum est de ueritate et falsitate; tertium de improbatione. Circa primum sic proceditur...

Solutio. De hoc sophismate tria queruntur, propter hoc respondendum est primo in generali ad illa tria. Primo dico quod distinctio preassignata, quamuis in se bona sit, tamen non ualet ad propositum...

---

1. tamen K.
2. sopiae Kac.

exp. Ad ultimum dico quod quia infinitum in plurali numero significat multitudinem, multitudo est discreta quantitas. Ideo possunt sufficenter <...> hic queruntur de hoc sophismate.

2.   ALIQUA IN EO QUOD CONUENIUNT DIFFERUNT, 254ra

inc. Queritur de hoc sophismate 'aliqua in eo quod conueniunt differunt'. Probatio: aliqua in eo quod conueniunt sunt ... Circa istud sophisma possumus tria querere: primum est de quadam distinctione; secundum est de ueritate et falsitate prime; tertium est de ueritate et falsitate probantium. De primo sic dicebat respondens primam esse duplicem ex eo quod hec reduplicatio 'in eo quod' potest fieri ratione materie uel forme...

Solutio. Dicimus quod prima est falsa, cum fiat reduplicatio ratione essentie uel forme, que est conuenientia(!). Cum forma est repugnans ipsi predicato...

exp. (*mutil.*) primam esse falsam. Et secundum hoc ibi demonstratur fieri reduplicatio ratione opposite forme...

3.   <QUOTIENSCUMQUE FUISTI PARISIUS FUISTI HOMO>, 256ra

inc. (*mutil.*) Et(?) hoc interrogatiuum 'quotiens' est interrogatiuum incertitudinis, quod satis patet; ergo factum distribuere distribuet pro eis. Ad oppositum sic. Quod non contingit simul esse, non contingit simul distribuere...

Ad primum dicendum quod prima simpliciter est falsa et etiam quelibet illarum singularium, scilicet 'ista uice' et 'illa uice' et hec est falsa omni uice...

exp. Et propter hoc sunt aduerbia que significant numerum temporis et non sunt aduerbia que significant numerum aliorum generum.

4.   SI TANTUM PATER EST NON TANTUM PATER EST, 256va

inc. Queritur de hoc sophismate 'si tantum pater est, non tantum pater est'. Circa istam orationem quattuor principaliter queruntur: primum est de distinctione utrum sit bona in se; secundo queritur utrum sequatur 'si tantum pater est, pater est' uel non; tertio queritur utrum sequatur 'filius est, non ergo tantum pater est'; quarto queritur de ueritate, utrum sit uera uel non. Circa primum sic proceditur...

[the text continues on f. 255ra: see above 1.1]

Solutio. Ad predicta secundum ordinem dico. Et ad primum primo quod distinctio data secundum primum modum distinguendi est competens. Et hoc est quia forma et materia ut unum significantur...

exp. (mutil.) dicendum quod hoc non est ratione cuiuslibet predicati subicibilis, set solum subicibilis quod inest uni per alterum, et respectu talis predicati...

5. <TANTUM UNUM EST>, 257ra

inc. (mutil.) Item dictio exclusiua addita principio non excludit principiata; set unum est principium multitudinis; ergo dictio exclusiua addita...

Solutio. Quidam dicunt quod hec propositio 'tantum unum est' falsa est; et respondunt ad probationem per fallaciam figure dictionis, quia in hac 'quidlibet est unum'...

exp. dictio exclusiua addita consequenti predicabili non excludit antecedens; set addita consequenti non predicabili bene excludit antecedens. Sequitur enim 'tantum paries, non ergo domus'.

6. DUO PATRES ET DUO FILII SUNT TRES ET NON PLURA, 257vb

inc. 'Duo patres et duo filii sunt tria et non plura'. Circa istam orationem quattuor queruntur. Et tria prima sunt de tribus primis distinctionibus in(!) positis; quartum et ultimum est de ueritate et falsitate. Circa primum sic fuit processum...

Solutio. Dicunt quidam quod prima simpliciter est falsa et resistunt probationi per fallaciam accidentis, quia unum quod est medium in argumentatione...

exp. et ita non oportet quod ponant necessario. Et ita hoc patet quod obicitur. Et per hoc patet solutio omnium oppositorum.

7. NICHIL EST VERUM NISI IN HOC INSTANTI, 258vb

inc. Queritur de hoc sophismate 'nichil est uerum nisi in hoc instanti'. Probatio et improbatio satis patent. Circa hoc sophisma quattuor principaliter querebantur: primum fuit de hac distinctione, quod hec coniunctio 'nisi' potest teneri exceptiue uel consecutiue; secundum de ueritate et falsitate; tertium de probatione; quartum de improbatione. Circa primum primo quarebatur an aliqua dictio possit teneri equiuoce; secundo an hec dictio 'nisi' possit illa duo significare; tertio an in proposito possit teneri exceptiue uel non. Quod nulla dictio possit teneri equiuoce probatio...

Ad sophisma dicendum quod prima duplex est ex eo quod hec dictio 'nisi' potest teneri exceptiue uel consecutiue. Si teneatur exceptiue, uera est...

exp. et sic procedit ratio ad utramque partem, sicut patet intuenti. Sic potest dici probabiliter de hoc sophismate, et in tam difficili re sufficiat probabilitas. Sufficit sophismati.

8. SI SORTES NECESSARIO EST MORTALIS, SORTES NECESSARIO EST IMMORTALIS

inc. Queritur de hoc sophismate 'si Sortes necessario est mortalis Sortes necessario est immortalis'. Probatio et improbatio satis patent. Dicebatur quod prima est duplex ex eo quod hec dictio mortalis potest accipi ut differentia uel ut passio. Si ut differentia, sic dicebat ipsam esse falsam; si ut passio sic dicebat ipsam esse ueram. Circa istam orationem quinque queruntur: primum erat de distinctione predicta; secundum erat de distinctione quam ponebat quod li 'necesario' poterat determinare potentiam que est in hoc quod dico 'mortale' uel actum; tertium erat de consequentiis (conclusionis K) probantibus ipsam, quartum erat de ueritate et falsitate prime, quintum erat utrum tales propositiones sint (sit K) uere 'Sortes est mortalis', 'Sortes est homo', Sorte non existente; et sic de homine non existente et de animali. Circa primum sic proceditur...

Solutio. Ad primum dicendum quod hoc nomen 'mortale' potest accipi dupliciter: ut differentia uel ut passio. Si accipiatur ut differentia sic est falsa, et sic sequitur oppositum ad oppositum...

exp. Aliam rationem concedo quod secundum quod est comparatio partis ad totum est uera, et hoc est secundum esse rationis. Et hoc sufficiat de isto sophismate 'si Sortes etc.'

9. SORTES DESINIT ESSE ALBISSIMUS HOMINUM
[see the text edited above]

10. TANTUM VERO OPPONITUR FALSUM

inc. Queritur de hoc sophismate 'tantum uerum opponitur falso'. Probatio et improbatio satis patent.Circa istam orationem possunt queri quattuor principaliter: primum est de quadam distinctionem que contra maiorem ponitur sophismatis; secundum de ueritate et falsiatet prime; tertium de argumento probationi, scilicet 'tantum uerum opponitur falso, ergo etc.' et de quadam distinctione posita in conclusione illius argumenti; quartum est de argumento 'tantum uerum et falsum opponuntur, ergo nulla alia opponuntur'. Circa primum sic dicunt(?) sophiste...

Solutio. Dicendum quod hec oratio 'tantum uerum opponitur falso' est uera simpliciter. Et per se loquendo de oppositione, quicquid falso opponitur, hoc non est nisi per naturam ueri reperta in illo...

exp. nec idem est dicere 'tantum uerum et falsum opponuntur uero et falso' et iterum 'uerum et falsum opponuntur'.

11. OMNIS ANIMAL FUIT IN ARCHA NOE, f. 264ra

inc. 'Omne animal fuit in archa Noe'. Probatio et improbatio satis patent. Circa hoc sophisma queritur primo trum distinctio ualeat; secundo de ueritate et falsitate; tertio de modo probandi inductiue; quarto de modo improbandi et de loco sophistico soluente hoc sophisma. Circa primum dicunt sophiste hanc esse duplicem...

Ad istud sophisma diuersi diuersimode respondent. Dicunt enim quidam quod prima est duplex ex eo quod hoc signum 'omne' potest distribuere hunc terminum 'animal' pro speciebus uel pro indiuiduis materialibus uel formalibus...

exp. Unde nec probatio nec improbatio predicta sophismatis ualet. Natura autem falsitatis incidentium in ipsa probatione in fine huius distinctionis assignabimus.

12. OMNIS HOMO DE NECESSITATE EST ANIMAL, 265ra

inc. Queritur de hoc sophismate 'omnis homo de necessitate est animal'. Probatio et improbatio satis patent. De isto sophismate quattuor queruntur: primum est de tribus distinctionibus que solent hic assignari; secundum est de ueritate et falsitate; tertium est de improbatione, utrum hoc argumentum ualeat 'Sortes de necessitate est animal, ergo Sortes de necessitate est'; quartum utrum hec sit uera, nullo homine existente, 'omnis homo est animal'. Circa primum sic proceditur communiter...

Iuxta hoc soluendum est ad sophisma, cuius solutio multis modis potest patere. Primo modo sic. Quidam dicunt quod prima est duplex...

exp. (*mutil.*)set necessarium additum propositioni necessarie non destruit necessitatem, ymmo potius augmentat, sicut affirmatio affirmationi...

13. <TOTUM SORTES EST MINOR SORTES>
[missing]

14. NULLUS HOMO LEGIT PARISIUS NISI IPSE SIT ASINUS, 266ra

inc. Queritur de hoc sophismate: 'nullus homo legit Parisius nisi ipse sit asinus', cuius probatio et improbatio satis patent. De isto sophismate queruntur tria: primum est de quadam distinctione que solet hic assignari; secundum est de ueritate et falsitate; tertium est de improbatione. Circa primum sic proceditur...

Solutio ad sophisma. Dicunt quidam, sicut prius dicebatur, quod prima est duplex ex eo quod negatio intellecta in hoc quod est 'nullus' potest negare consequentiam uel consequens...

exp. dico tamen quod differunt secundum modum essendi: una enim predicatione sicut categorica et altera conclusione sicut ypotetica et conditionalis. Et hec de isto sophismate sufficiant.

15. OMNIS PROPOSITIO UEL EIUS CONTRADICTORIA EST UERA, 266vb

inc. Queritur de hoc sophismate 'omnis propositio uel eius contradictoria est uera'. Cuius probatio talis est: hec propositio 'tu es asinus' uel eius contradictoria est uera... De isto sophismate quattuor queruntur: primum est de quibusdam distinctionibus que solent hic assignari; secundum est de ueritate et falsitate; tertium est utrum signum uniuersale possit addi toti disiuncto; quartum et ultimo est de improbatione. Circa primum sic proceditur...

Solutio. Ad hoc sophisma diuersi diuersimode respondent. Quidam dicunt quod prima est duplex ex eo quod potest esse categorica uel ypotetica...

exp. eo quod ipsum medium pro alio et alio accipitur in relatione ad maiorem (minorem K) extremitatem <et> ad minorem. Et sic patet solutio omnium obiectorum.

16. DECEM PRETER QUINQUE SUNT QUINQUE, 267va

inc. Queritur de hoc sophismate 'decem preter quinque sunt quinque', cuius probatio et improbatio satis patent. Circa istud sophisma quattuor queruntur: primum est de quadam distinctione; secundum est de ueritate et falsitate prime; tertium est de probatione; quartum est de modo improbandi. Circa primum sic dicitur quod prima est duplex ex eo quod 'preter' potest teneri exceptiue uel diminutiue...

Solutio. Quidam dicunt quod prima est duplex <ex eo> quod li 'preter' potest diminutiue <teneri>, et sic est uera...

exp. ideo dicimus quod non sequitur 'quinque, ergo aliquod quinque'; set sequitur 'homines, ergo aliquod homine'.

17. OMNIS HOMO EST ANIMAL ET ECONVERSO, 268va

inc. Queritur de hoc sophismate 'omnis homo est animal, et econuerso', cuius probatio et improbatio satis patent. Dicebatur quod prima est duplex ex eo quod li 'econuerso' potest dicere conuersionem simplicem aut per accidens. Primo modo falsa, secundo modo uera. Primo uidetur quod ista distinctio non sit bona in se; secundo quod non sit bona ad propositum. Primum (primo K) ostenditur tali ratione...

Soluunt autem diuersi diuersimode orationem predictam.

Dicunt(?) enim primam sicut distinguebatur. Alii dicunt primam simpliciter esse falsam et li 'econuerso' semper dicit conuersionem simplicem...

exp. ideo non sequitur quod 'animal' conuertatur cum 'homine' neque tenet, perempto homine, quod perimatur animal. Ista querebantur de hoc sophismate.

18. IMPOSSIBILE POTEST ESSE VERUM, 269va

inc. Queritur de hoc sophismate 'impossibile potest esse uerum', cuius probatio et improbatio satis patent. Circa istud sophisma possunt queri tria: primum est de distinctione communi que imponitur, utrum ualeat in se; secundo utrum ualeat ad propositum; tertio de ueritate et falsitate prime. Circa primum sic distinguitur. Ista oratio duplex ex eo quod hoc quod dico 'impossibile' potest accipi pro impossibili per (pro K) se uel pro impossibili per accidens...

Solutio. Dicendum ad primum quod prima oratio? simpliciter falsa est; quoniam, ut ostensum est per predicta argumenta, sensus orationis est 'impossibile est etc.', id est quod est impossibile, dum est impossibile potest esse uerum posterius. Quod falsum est...

exp. set falsum non est accidens impossibili, set genus; et propter hoc non ualet ratio illa. Et sic patet solutio ad omnia.

19. SI TU SCIS TE ESSE LAPIDEM TU NESCIS TE ESSE LAPIDEM, 270va

inc. <Queritur> de hoc sophismate 'si tu scis te esse lapidem, tu nescis te esse lapidem'. Probatio et improbatio patent. Circa istud sophisma quinque querebantur. Primum erat de fallacia accidentis a (ad K) respondente assignata. Secundum erat de ueritate et falsitate. Tertium erat de consequentiis intermediis. Quartum erat utrum in consequente (concedente K) includantur opposita. Quintum de quadam alia solutione imposita. Circa primum sic proceditur. Dicebat respondens...

Solutio. Ad hoc sophisma diuersimode respondetur. Dicuntenim primam esse falsam; ad probationem respondent per fallaciam accidentis ex diuersificatione huius medii 'quod est lapis'... Reuertor et sustineo ibi esse fallaciam accidentis. Ad opposita respondeo. Et primo ad primum, dico quod...

exp. aut ratione sue proprie nature, et sic te esse lapidem ponit te nihil scire. Et per hoc patet quomodo (quando K) diuersificetur illud medium. Hec querebantur de isto sophismate. (f. 271vb).